

LIBERALITAS.

Vide verb. Avaritia num. 12.

LIBRI

SUMMARIUM.

- 1 **S**ub pena excommunicationis late sententia tenetur quisque suscipere pro sacris, & canonicis omnibus libros novi, & veteris Testamenti a Concilio Trident. sess. 4. in decreto de Canonicis scripturis enumeratos.
- 2 **L**ibros de rebus sacris sine nomine Auctoris nullus imprimere potest, nec illos vendere, vel apud se retinere, nisi prius sint examinati, & approbati ab Ordinario sub pena excommunicationis, & pecuniaria apposita a Concilio Lateranensi, & Tridentino.
- 3 **R**egulares ultra examinationem, & approbationem hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare tenentur.
- 4 **E**t utramque concessionem debent imprimi facere ad principium operis.
- 5 **L**ibros scriptos communicans, vel vulgans ante examen, & approbationem, subjicitur poenis: quibus & impressores. Et eos habentes, vel legentes, nisi prodant Auctores, pro Auctoribus habebuntur.
- 6 **L**ibrorum approbatio danda est in scriptis, & gratis, sicuti & examen est gratis faciendum.
- 7 **L**ibri non sunt imprimendi sine nomine Auctoris, vel certi Collegii.
- 8 **L**ibri imprimi non possunt Romae absque licentia Cardinalis Vicarii, & Magistri sacri palatii.
- 9 **A**lii vero imprimi non possunt absque licentia Ordinariorum, & Inquisitoriorum.
- 10 **L**ibrarii, seu Impressores imprimentes absque his licentis incurunt excommunicationem, & poenam amissionis librorum, & centum ducatorum.
- 11 **L**ibri Auctorum degentium in statu Ecclesiae imprimi non possunt extra statutum sine licentia Cardinal. Vicar. & Magistri sacri palatii, (& extra) sine licentia Inquisitorum, aliter impressi ipso facto sunt prohibiti, & aliae poenae ab imprimente incuruntur.
- 12 **L**ibri de miraculis, gratis, beneficiis, & aliis, quae dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione sanctitatis, a Sede Apostolica non canonizati, nec beatificati, imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicae.
- 13 **I**mpressores, & Bibliopole habentes libros Lutheranos, aut aliorum hereticorum, aut de heresi suspectos, quas poenas incurant, nisi eos consignent Inquisitoribus.
- 14 **L**ibri sine nomine Typographi, vel loci impressionis, vendi non possunt sub pena confiscationis librorum.
- 15 **L**ibros furto extrahere, seu subtrahere, & asportare ex Bibliothecis Regularium est prohibitum sub pena excommunicationis sententiae Papae reservatae.
- 16 **R**eferantur ad hoc summarie varia Constitutiones Pontificiae, usque ad num. 33.

Libros novi, & veteris Testamenti a Concilio Trident. sess. 4. in decreto de Canonicis enumeratos, qui integros cum omnibus suis partibus prout consueverunt legi in Ecclesia Catholica, & habentur in veteri vulgata latina editione, non suscipit pro sacris, & canonicis, est communicatus, Concil. Trident. loc. cit.

Libros de rebus sacris sine nomine Auctoris nullus imprimat, vel imprimere faciat, & illos non vendat, vel apud se retineat, nisi prius sint examinati, & ap-

probati ab Ordinario, sub pena excommunicationis, & pecuniaria apposita in canone Concilii Lateranensis sess. 10. de impressione librorum sub Leone X. Six. expresse Concil. Trident. citat. sess. 4. in decreto de editione, et usu sacrorum librorum.

Regulares ultra examinationem, & approbationem hujusmodi, licentiam quoque a suis Superioribus impetrare tenentur, recognitis per eos libros iuxta formam suarum ordinationum; Concil. Trid. loc. cit. & sic habetur etiam in Instructione Clementis VIII. Auctoritate Regulis Indictis adjecta §. 2. de impressione librorum, Ubi additur, quod utramque concessionem, quae apparet, ad principium operis imprimi faciant.

Libros scriptos communicans, vel vulgans ante examen, & approbationem, subjicitur poenis quibus & impressores. Et eos habentes, vel legentes nisi prodant Auctores, pro Auctoribus habebuntur; Sic expresse Concil. Trid. loc. cit.

Librorum approbatio danda est in scriptis; atque ideo in fronte libri vel scripti, vel impressi authentici apparet; idque totum, hoc est, & approbatio, & examen, gratis fiat; Sic expresse Concil. Trid. loc. cit.

Libri non sunt imprimendi sine nomine Auctoris, vel certi Collegii; Concil. Trid. l. c. et cit. Instructio Clement. VIII. de impressione librorum §. 1. ubi sic expresse habetur, ibi: "Nullus liber imposterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam praeferat Auctoris. Quod si de Auctore non constat, aut ob justam aliquam causam, tacto ejus nomine, Episcopo, & Inquisitori liberi edidisse videatur, nomen illius pro nomine Auctoris describitur, qui librum examinaverit, atque approbaverit. In his vero generibus librorum, qui ex variorum scriptorum dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi, & compilandi suscepit, pro Auctore habebatur." Haec ibi.

Libri imprimi non possunt Romae absque licentia Cardinalis Vicarii Papae, & Magistri sacri palatii; Leo X. constit. 12. incip. Inter sollicitudines: quae est Concil. Lateran. V. sess. 10. constit. 3.

Alii vero imprimi non possunt absque licentia Ordinariorum, & Inquisitoriorum hereticis pravitatis; Leo X. in cit. constit. incip. Inter sollicitudines: & Conc. Lateran. V. sess. 10. & Conc. Trid. sess. 4. in decreto de editione et usu sacrorum librorum.

Librarii, seu impressores imprimentes absque his licentis incurunt excommunicationem, & poenam amissionis librorum, & centum ducatorum applicandorum Fabricae S. Petri Romae, Leo X. cit. constit. incip. Inter sollicitudines: & Concil. Lateran. V. cit. sess. 10.

Libri Auctorum degentium in statu Ecclesiae imprimi non possunt extra statutum sine licentia Cardinalis Vicarii, & Magistri sacri palatii, & extra, sine licentia Inquisitorum; aliter impressi ipso facto sunt prohibiti, & aliae poenae ab imprimente incuruntur, Urban. VIII. const. 50. incip. Sanctissimus:

Libri de miraculis, gratis, beneficiis, & aliis, quae dicuntur accepta ope alicujus defuncti cum opinione sanctitatis, a Sede Apostolica non Canonizati, nec Beatificati, imprimi non possunt sine licentia Sedis Apostolicae; Urban. VIII. constit. 37. incip. Sanctissimus:

Impressores, & Bibliopole habentes libros Lutheranos, aut aliorum hereticorum, seu de haeresi suspectos, quas poenas incurant, nisi eos Inquisitoribus tradant, aut consignent; Pius IV. constit. 76. incip. Cum pro munere:

Libri sine nomine Typographi, vel loci impressionis, vendi non possunt sub pena confiscationis librorum; Concil. Magunt. IV. cap. 99. Concil. Colonien. II. part. 12. cap. 9.

Libros furto extrahere, seu subtrahere ex bibliothecis Regularium est prohibitum sub pena excommunicationis late sententiae Papae reservatae, ut constat ex pluribus pontificis constituit. pro variis Religionibus diversis temporibus emanatis: quae summarie hic subnecuntur, prout referuntur a Pionio in collectione constitutionum pontificiarum ad Regulares.

1568. 4. Novembris. Universis & singulis personis

ecclesiasticis secularibus, & regularibus mandatur, ne ex bibliothecis Ordinii S. Francisci aut earum aliqua librum aliquem, aut quinternum furto subtrahere quoquo modo praesumant, sub pena excommunicationis, cujus absolutio Romano Pontifici (excepto mortis articulo) reservat S. Pius V. constit. quae incip. Cum sicut accepimus: apud Flavium Cherubin. in comp. bullar. tom. 2. pag. mibi 129. & refert etiam Roderic. in collecti. privileg. Regular. tom. 2. Bulla 17.

1587. 3. Octobris. Minister, ac Commissarius Generalis, Ministri Provinciales, Commissarii, Guardiani, ceterique Fr. Minores de Observ. S. Francisci, aliaque omnes personae ecclesiasticae seculares, & regulares nullo praetextu audeant per se, vel alios amovere, vel amoveri facere de bibliothecis dicti Ordinis libros ibidem existentes, quinterna, folia, nec res aliquas, sub excommunicationis late sententiae poena (reservata Papae absolute) ipso facto incurrenda, neque consulere, vel alicui auxilium praestare praesumant, sub eadem poena, nec non privationis vocis activae, & passivae, ac inhabilitatis perpetuae ad quaelibet officia dicatae Religionis obtinenda; Monasteriorum Guardiani munus Guardianatus non assumant, nisi prius in praesentia Discretorum loci, in quo fuerit aliqua bibliotheca, subscripserit cum dictis Discretis Inventarium dictorum librorum, quod erit etiam a quolibet Ministro Provinciali, & dictae provinciae Commissario singulis annis revindendum. Si praedicta non fuerint facta, Guardianus, & Minister, ac Commissarius sint statim privati, & inhabiles ad quavis officia; Sixtus V. apud Cherub. in bullar. Rom. tom. 2. constit. 67. quae incip. Cum sicut:

1593. 29. Maji. Amoventes, & subtrahentes ex bibliothecis Ord. Fr. Beatae Mariae de Monte Carmelo libros, & monumenta, sive impressa, sive manuscripta, excommunicationis sententiae ipso facto incurrendae (a qua ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi non possint) subjacent; Clement. VIII. apud Cherubin. in bullar. Roman. tom. 3. constit. 24. quae incip. Quae ad tuenda §. 1.

1621. 13. Februarii. Interdicitur, & prohibetur, ne de cetero quisquam quosvis libros, vel quinterna, aut folia sive manuscripta, sive impressa, bibliothecae Genueensis Ord. Fr. Minim. S. Francisci de Paula assignata, & assignanda quovis quavis colore audeat ex dicta bibliotheca extrahere, vel praesumat permittere ut extrahantur, vel removeantur, sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes incurrendis; Urbanus VIII. apud Cherub. in bullar. Rom. tom. 5. constit. 44. quae incip. Conservatio: & refert etiam Pion. de privileg. Regular. tom. 2. constit. 4. ejusdem Pontificis pag. 1278.

1626. 25. Mart. Nemo de cetero quavis auctoritate fungens libros, vel quinterna, seu folia, sive impressa, sive manuscripta, bibliothecis dominorum Regularium Ord. Fr. Praedicatorum haecenus donata, seu assignata, & imposterum donanda, seu assignanda, ex eisdem bibliothecis extrahere, seu ut extrahantur permittere, aut consentire, sub quovis praetextu audeat, sub excommunicationis, nec non privationis vocis activae, & passivae per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, prout interdicit, & prohibet Urban. VIII. apud Cherub. in bullar. Rom. tom. 4. constit. 55. quae incip. Cum sicut accepimus:

1628. 31. Octobris. Vicarius Generalis, & Fratres Minimi pro tempore existentes, collegii S. Francisci de Paula ad Montes in Alma Urbe, & aliae personae quaecumque tam Seculares, quam Regulares nullas reliquias, nec libros, seu volumina, & scripta ab ecclesia, & bibliotheca dicti collegii ullo modo amovere, transportare, distribuere, seu mutuo dare audeant, seu praesumat, Urbanus VIII. apud Cherub. in bullar. Rom. tom. 4. constit. 95. quae incip. Justis & honestis:

1637. 13. Octobris. Nemo libros, aut quinterna, vel folia, sive impressa, sive manuscripta, aut paramenta, & ornamenta quaecumque ecclesiae Fr. Minorum S. Francisci de Observantia Recollectorum provinciae Granatensis donata, vel donanda audeat, vel

praesumat ex dictis bibliothecis, & ecclesiis respective extrahere, seu quibusvis aliis ecclesiis, & monasteriis, ac locis piis, aut personis commodare, sive ut extrahantur, seu commodentur permittere. Et hoc sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes incurrendis interdicit, ac prohibuit Urban. VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 253. quae incip. Conservatio:

1638. 20. Julii. Interdicitur, & prohibetur sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes incurrendis, ne de cetero quisquam libros, vel quinterna, au folia sive impressa, sive manuscripta ex bibliothecis Fr. Ord. Minorum S. Francisci Cappucinatorum extrahere, sive ut extrahantur permittere audeant, seu praesumat. Provincialibus tamen, & Definitoribus dicti Ordinis conjunctim procedentibus permittitur, ut per eorum Syndicos possint libros inutilis cum aliis utilibus commutare; Superioribus vero singularum hujusmodi domorum conceditur, ut dictos libros valeant extrahere pro usu Praedicatorum Ordinis: ac fratribus facultas tribuitur illos ad suas cellas deferendi, relicti tamen in bibliotheca nominibus suis, & librorum: Postquam autem dicti Praedicatorum, & Fratres illis usi fuerint, illico ad bibliothecas sub eisdem poenis reportent; Urbanus VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 249. quae incip. Conservatio:

1642. 25. Mart. Nullus ex Religiosis Discalceatis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Congregationis Hispaniae audeat, vel praesumat ex bibliothecis domorum Regularium hujusmodi Ordinis libros, vel quinterna, aut folia impressa, sive manuscripta extrahere, seu commodare, aut donare, sub excommunicationis majoris poena, etiam a quovis Regulari, vel alterius Religionis, seu Congregationis Regularis, qui praedicta extraxerit, vel utenda acceperit, aut sibi retinuerit, ipso facto incurrendae; Urb. VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 302. quae incip. Conservatio:

1643. 6. Februarii. Interdicitur, & prohibetur, ne de cetero quisquam libros, vel quinterna, aut folia sive impressa, sive manuscripta sub quovis praetextu de bibliothecis, & domibus Regularibus Fr. Ord. Eremitarum S. Augustini Discalceatorum extrahere, seu asportare, aut ut extrahantur, seu asportentur permittere sub excommunicationis, ac privationis vocis activae, & passivae poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis, audeat, seu praesumat; Urbanus VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 319. quae incip. Conservatio:

1643. 23. Decemb. Nullus sive Generalis sive Provincialis Minister, aut alius quivis Superior Ord. Minorum S. Francisci Recollectorum de sacristiis & bibliothecis conventuum eorumdem fratrum Recollectorum de provincia Granatensis audeat, vel praesumat dicta paramenta, & ornamenta ecclesiastica, aut libros, vel quinterna, vel folia amovere, aut cuiquam commodare in virtute sanctae obedientiae &c. prout prohibet Urbanus VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 332. quae incip. In his quae:

1651. 27. Julii. Interdicitur, & prohibetur, ne de cetero quisquam libros, quinterna, folia, aut scripturas, tam impressa, quam manuscripta bibliothecis domorum Fr. Minorum S. Francisci de Observantia Reformatorum donata, vel donanda, quibusvis personis commodare, aut sub quovis quavis colore de dicta bibliothecis, seu earum aliqua extrahere, & asportare, seu ut commodentur, vel extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire praesumat, sub excommunicationis late sententiae (reservata Papae absolute) ac privationis vocis activae & passivae poenis per contrafacientes eo ipso incurrendis. Permittitur tamen dictarum domorum fratrum Verbum Dei Praedicatoribus, & studiis operam navantibus, libros, quinterna, & folia hujusmodi de dictis bibliothecis extrahere, & illis in eorum cellulis tantum uti; sed finito usu hujusmodi, illos seu illa ad dictas bibliothecas respective sub eisdem poenis referre teneantur, Innocentius X. in bullar. Rom. tom. 5. const. 47. quae incip. Conservatio:

1656. 3. Julii. Sub excommunicationis late sententiae

tie ac privationis vocis activæ & passivæ penis per contrahentes eo ipso incurrendis interdicitur, & prohibetur, ne de cetero quisquam libros, aut scripturas, seu quinterna, vel folia tam impressa, quam manuscripta bibliothecis Fr. Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum donata, vel donanda quibusvis personis (præterquam fratribus dicti Ordinis, qui quidem libros à bibliothecis hujusmodi respective de Superioris, seu bibliothecarii pro tempore existentis licentia extrahere, & eis pro communi conventuum hujusmodi, & particulari fratrum dicti Ordinis usu in suis cellis, fratribus quoque ejusdem Ordinis Verbum Dei prædicantibus, qui etiam extra suos conventus uti possint, sed finito usu hujusmodi ad dictas bibliothecas respective sub prædictis penis subito reportare omnino debeant) commodare, aut sub quovis quæsito colore à dictis bibliothecis extrahere, & asportare, seu ut commodentur, aut extrahantur, & asportentur permittere, aut consentire audeat, seu præsumat; Alexander VIII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 21. quæ incip. Conservationis: 1657. 2. Octobr. Universis, & singulis personis ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, ac etiam laicis interdicitur, & prohibetur, ne sub quovis prætextu per se, vel alios è bibliotheca S. Martini de Senis Ord. Eremitarum S. Augustini libros sive typis editos, sive manuscriptos, nec non picturas, & antiquitates extrahere, seu extrahi facere, vel ut extrahantur permittere audeant, seu præsumant, sub excommunicationis late sententiæ (reservatæ Papæ absolute) & insuper quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso incurrendæ; Alexander VII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 43. quæ incip. Cum sicut. 1658. 24. Septemb. Interdicitur, & prohibetur sub excommunicationis late sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ penis per contrahentes eo ipso incurrendis, ne quisquam libros, quinterna folia, scripturas publicas, & privatas, Indulta, privilegia, tam impressa, quam manuscripta ex Archivis, & Conventibus, ac bibliothecis Canonicorum Regularium Congregationis S. Augustini in regno Portugallia existentibus extrahere, aut aliis commodare audeat, seu præsumat; Alexander VII. in bullar. Rom. tom. 5. const. 56. quæ incip. Conservationis: 1708. 21. Novemb. Interdicitur, & prohibetur, ne quisquam extrahat quomodolibet libros, chartas, & movilia quæcumque ex bibliotheca monasterii SS. Fabiani, & Sebastiani extra muros Urbis sub pena excommunicationis late sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ; Clemens XI. const. incip. Cum sicut Dilectissimus: 1713. 19. Maji. Interdicitur, & prohibetur sub pena excommunicationis late sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ, ne quisquam extrahat libros, & quinterna bibliothecæ conventus S. Mariæ Majoris Tyburis Ord. Fr. Minorum de observantia S. Francisci extra ipsorum conventum absque auctoritate apostolica; Clemens XI. const. incip. Cum sicut dilectissimi: 1720. 12. Julii. Interdicitur, & prohibetur sub pena excommunicationis late sententiæ Papæ reservatæ, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ eo ipso audeat alia declaratione incurrenda, ne quisquam præsumat extrahere, vel asportare libros, & scripturas ex publica bibliotheca nuper à Sanctitate sua in conventu Fr. Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Civitatis Urbanatensis instituta; Clemens XI. const. incip. Cum Nos: 1721.

LIBRI PROHIBITI.

SUMMARIUM.

1. Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis.
2. Qui sint libri prohibiti in prima classe.
3. Qui sint libri prohibiti in secunda classe.

4. Qui sint libri prohibiti in tertia classe.
5. Libri prohibiti in prima, & secunda classe dupliciter differunt inter se, & assignatur talis differentia.
6. Libri prohibiti in tertia classe, non ideo ponuntur in tertia ultima classe, quasi sint minoris periculi, & malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut male olim plures existimaverunt.
7. Unde ad evitandam confusionem, quam ob dictam malam intelligentiam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio; novus librorum prohibitorum Index de mandato Alexandri VII. fuit editus, retentis adhuc regulis prioris Indicii.
8. Adducuntur regula Indicii.
9. Alexander VII. omnes penas, & censuras contra legentes, retinentes Sc. libros prohibitos hæcenus latas, induxit ad penas contentas in constituto. Pii IV. incip. Dominici Gregis super dicti Indicii Tridentini confirmatione edita.
10. Penas, & censura in dicta constit. IV. contenta referuntur.
11. Dicta constit. Pii IV. quos libros, & qua pena eos percutiat?
12. Legentes, retinentes Sc. libros prohibitos volum quia sunt contra bonos mores, & hujusmodi, nullam incurrun excommunicationem, sunt tamen denunciandi.
13. Adducitur ad hoc constitutio Apostolica.
14. Hinc qui assereret posse in conscientia retineri libros prohibitos non ob hæresim, nec falsi dogmatis suspicionem, sed solum ob aliam causam, esset denunciandus, ut asserit propositio nemerariæ, & scandalosa.
15. Item denunciandus esset, qui assereret, quod libri non perpetuo prohibiti, sed donec expurgentur, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur, sicuti etiam denunciandi essent retinentes tales libros.
16. Habentes libros quomodocumque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent Inquisitoribus.
17. Unde libros prohibitos propria auctoritate comburentes, & ipsos non consignantes Inquisitoribus, cum possint sine gravi suo incommodo, & periculo, peccant mortaliter.
18. Non incurrun autem excommunicationem, aliasque penas latas à Julio III. & Pio IV. usque ad annum 2111.
19. Qui consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam illos legendi, non abdicantes à se dominium, sed tantum deponentes ad tempus, incurrun excommunicationem.
20. E contra si illos ipsi tractant, abdicantes à se dominium, possessionem, & usum, & Religiosi, immo & alii seculariter satisfaciunt, si tradant in locum requirerum, ut in Bibliothecis Regularium, usque ad annum 23. Card. autem Petrus sentit contrarium, & quidem ruitus.
21. Licentia legendi libros prohibitos non potest hodie concedi, nisi à Summo Pontifice, & à Sac. Congregat. S. Officii, aut à specialiter deputatis ab ipsis.
22. Unde eas concedere non possunt Cardinales, Episcopi, Inquisitores, nec Generales Ordinum, immo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi habeant specialiter sibi concessam licentiam.
23. Auctoritas subnectuntur Supplementa.

Libri prohibiti ex Indice sunt triplicis classis; Communis, & patet ex ipsomet Indice jussu Concilii Tridentini, edito, & à Pio IV. approbato in Constit. Dominici Gregis. Libri prohibiti in prima classe sunt illi, qui sunt damnati, seu prohibiti propter eorum Auctores, quatenus ipsi sunt heretici, aut de hæresi publice, & communiter suspecti; unde omnes istorum libri tam editi, quam edendi, de religione & professo tractantes, quam-

REGULÆ INDICIS

Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ jussu editæ

REGULA I.

Libri omnes, qui ant. ann. MDXV. aut Summi Pontifices, aut Concilia Ecumenica damnarunt, & in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censentur, sicut olim damnati fuerunt.

REGULA II.

Hæresiarcharum libri tam eorum, qui post prædictum annum hæreses invenerunt, vel suscitaverunt, quam qui hæreticorum Capita, aut Duces sunt, vel fuerunt, quales sunt Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Balthassar, Pacimonianus, Schuvenfeldius, & his similes cum jussucumque nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis, jussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati permittuntur.

Libri etiam catholice conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quam ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ vel ab Inquisitione generalis, permitti poterunt.

REGULA III.

Versiones Scriptorum etiam ecclesiasticorum, quæ hæcenus editæ sunt à damnatis Auctoribus, modo nihil contra sanam doctrinam contineant, permittuntur.

Librorum autem veteris Testamenti versiones viris tantum doctis, & piis, judicio Episcopi concedi poterunt, modo hujusmodi versionibus tamquam elucidantibus vulgatæ editionis, ad intelligendam sacram scripturam, non autem tamquam sacro textu mutantur.

Versiones verò novi testamenti ab Auctoribus Classis hujus Indicii factæ, nemini concedantur, quia utilitatis parum, periculi verò plurimum lectoribus ex eorum lectione manere solet.

Si quæ verò annotationes cum hujusmodi, quæ permittuntur, versionibus, vel cum vulgata editione circumferrentur, expunctis locis suspectis à facultate Theologica alicujus Universitatis Catholicæ, aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt, quibus & versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgo Biblia Vatabli dicitur, aut partes ejus concedi viris piis, & doctis poterunt.

Ex bibliis verò Isidorii Clarii Brixiani prologus, & prologomena prædicantur, ejus verò textum nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

REGULA IV.

Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hæc in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur; ut cum consilio Parochi, vel Confessarii Bibliorum à Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnari, sed Fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem, absque tali facultate ea legere, seu habere præsumperit, nisi prius bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habentes, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pre-

quamvis de ea bene tractent, & nullam hæresim contineant, sunt prohibiti in prima classe, qua ut expresse habet Summatium in cap. Fraternalitatis 4. de hæreticis, ibi: Damnato Auctore, damnantur ejus scripturæ, & libri, & opera.

Libri prohibiti in secunda classe sunt illi, qui sunt prohibiti non propter eorum Auctores, qui sunt Catholici; sed propter non sanam, & moribus fidelium repugnantem doctrinam; aut aliamquam, quam incidenter continent hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem.

Libri prohibiti in tertia classe sunt illi, qui sunt prohibiti propter ignotum nomen Auctoris, & ob doctrinam, quam continent male, sive in genere moris, sive in genere religionis, sive in genere fidei.

Libri prohibiti in prima, & secunda classe dupliciter differunt inter se. Primo quia libri prohibiti in prima classe sunt prohibiti principaliter propter eorum Auctores, qui sunt heretici, ideoque omnes eorum libri de religione tractantes, etiamsi sanam doctrinam contineant, sunt prohibiti. Libri verò prohibiti in secunda classe sunt prohibiti principaliter propter materiam prævam, quam continent, & non propter eorum Auctores, qui sunt Fideles Catholicis. Secundo quia libri prohibiti in prima classe, sunt prohibiti duplici excommunicatione scilicet Bullæ Cene, & excommunicatione Indicii, & Pii IV. incip. Dominici Gregis: Libri verò prohibiti in secunda classe sunt prohibiti sola excommunicatione Indicii, & Pii IV.

Libri prohibiti in tertia classe, non ideo in tertia, & ultima classe ponuntur, quasi sint minoris periculi, & malitiæ, adeoque minus prohibiti, ut olim plures etiam ex classicis Doctores existimaverunt, putantes quod gravitas malitiæ, periculi, & consequenter prohibitionis, desumenda esset ex ordine classis, ita ut magis essent periculosi, & prohibiti, qui in prima classe, minus qui in secunda, & multo minus qui in tertia classe. Nam contrarium à parte rei se habet, cum plures libri ob ignotum Auctorem in tertia classe prohibiti, sint multo periculosiores, quam libri prohibiti in prima, & secunda classe, ut expresse dicit Alexander VII. in constit. super observatione librorum prohibitorum incip. Speculatoribus domus Israel: ubi §. 1. postquam dixit, "quod illa Classium (trium scilicet supra specificatarum) distinctio plurimum non modo vulgares, sed etiam eruditos decipiebat, dum ex earum ordine confixionis gravitatem aestimabant, quasi severius actum semper videretur cum legitibus anteriorum, quam posteriorum classium libros, quod tamen secus esse ipsa classium institutione à Concilio Tridentino facta colligi facile potest. Adit prope finem; Contigit, ut plerique libri ignoti Auctoris, quæ tertiæ classi assignantur, multo pejores sint, quam in prima, aut secunda recensiti."

In qua constitutione dictus Pontifex ad evitandam confusionem, quam pariebat recensita in tres classes librorum prohibitorum divisio, Novum librorum prohibitorum Indicem fieri decrevit, ut in omnia illa trium classium distinctione reponantur ordine alphabetico non solum libri prioris Indicii, sed etiam illi, qui de novo in dies prohibiti fuerint. Quem Indicem, & Successores Pontifices servari, & continuari fecerunt usque in præsens, cum sola significatione illorum, qui sunt prime classis, utpote specialis nota digni per h. Classis ad denotandum, quod libri in hoc novo Indice tali signo notati, sunt prohibiti in prima classe. Quoad Regulas autem generales nihil à dicto Pontifice in tali constitutione fuit immutatum; immo easdem veteris Indicii stricte observari præcipit, & adhuc impresentiarum adamussum observantur, & ad hunc finem in novo Indice reponuntur, cum quibusdam observationibus Clementis VIII. ad Regulam decimam; quæ ut ab omnibus tali novo Indice carentibus in promptu habeantur, hic ad litteram dantur, prout ibi continentur una cum ipsis Regulis.